



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXII. Vtrum actus Fidei ex suo conceptu sit summè certus, ac infallibilis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)


~~~~~

QVÆSTIO XXII.

*Vtrum actus Fidei in suo concep-  
tu sit summè certus, ac  
infallibilis?*



IDEVR non esse. I. Quia propositio diuina reuelationis, & credendorum sufficiens ad eliciendum actum Fidei, potest esse falsa. Ergo actus ipse Fidei, potest etiam esse falsus. Patet consequentia, quia actus Fidei conceptus dependenter à falsa propositione reuelationis, & rei reuelatæ, nequit non esse falsus, utpote assentiens reuelationi, quæ non datur reipia, & rei, quæ in se opposito modo se habet. Probatur antecedens, quia incarnatio Spiritus Sancti, potest proponi à Parocho, aliove idoneo absolute Ministro Euangelij per ignorantiam, aut malitiam, eodem prorsus modo, & cum omnibus circumstantiis perceptibilibus ab audiente, quo, & cum quibus proponitur Incarnatio Verbi diuini, quando hæc ab eodem sufficienter proponitur. Neque verò dubitari potest, actus Fidei consequentes ad propositiones eiusdem prorsus rationis, esse, & ipsos eiusdem prorsus rationis, & speciei, quoad prædicata adæquatè sibi intrinseca. Idem dicitur de Libro Sacro, temere, aut malignè deprauato ex parte, & existimato legitimo.

2. Fides de Christo venturo fuit eiusdem rationis ante, & post eius Aduentum, nondum secuta eius prædicatione, aut prædicationis auditione, ac perceptione sufficienti. Ergo actus Fidei potest transire, & de facto transiit de vero in falsum. Patet consequentia, quia Christus Dominus postquam venit, non erat iam amplius venturus, siue esset, siue non esset audita eius prædicatione: Ac proinde actus adhuc affirmans venturum, erat falsus. Patet, & antecedens, quia actus intellectus non variantur specie, propter varietatem materialem euentuum, quorum nulla affulget notitia intelligenti.

3. Cognoscens aliquid obscure, nequit discernere ipsum à non ipso. Sed cognoscens per Fidem, cognoscit obscure primam veritatem reuelantem, & rem reuelatam. Ergo nequit ipsas à non ipsis discernere. Ergo perinde in illas fertur, siue adsint, siue non adsint, ac per consequens est expositus falsitati. Augetur difficultas, quia ex hac ratione, & paritate actus Charitatis, palam confici videtur, cum, qui habet actum Fidei non posse certò cognoscere, ac discernere, an verè illum habeat, an tantum apparenter, ac proinde, neque an sit certus, & verus; an falsus, & putatus. Vnde necessariò consequitur, ut formidet de veritate sui actus; vel certè ut non habeat maius solatium, & tutiorem operum directionem, quàm si foret falsus, solumque putatiue foret Fidei diuinæ.

4. Qui credit Fide diuinam, habet potentiam proximam formidandi. Necessè autem est, ut actum formidet, qui habet potentiam proximam formidandi. Ergo necessè est, ut formidet actum, qui credit Fide diuinam. Ergo ea fides non est certa, nec excludit omnem formidinem. Probatur maior, quia qui credit Fide diuinam, habet pro priori naturæ potentiam proximam omittendi eam Fidem, eique substituendi aliam cognitionem. Nullam verò substituere potest quæ incerta, & formidolosa non sit. Patet itidem minor; quia nemo formidat volens, nec est bonum eligibile formidare, sed malum inuitabile patienti, & necessariò in eum irruens, eumque opprimens reluctantem.

5. Posito actu Fidei de futuro contingenti, adhuc istud potest suo tempore impediri. Alias esset contingens, & tamen ipse actus non potest iam tunc impediri, quia factum infectum fieri non potest. Impedito autem obiecto, quin impediatur eius cognitio, eo ipso cognitio redditur falsa, ac per consequens impedibilitas obiecti absque impedibilitate cognitionis, cognitionem reddit fallibilem. Ergo cognitio Fidei non est ex suo conceptu infallibilis.

6. Visio beata, quæ est perfectior Fide, potest diuinitus reddi falsa. Potest enim diuinitus destrui tam ipsa, quàm Beatus, ut liquet ex testimoniis, quæ adducit Valqu. 1. p. disp. 182. pro corruptibilitate, & annihilabilitate omnium creatorum: & tamen visio cognoscit sui, & beati, cui inest, durationem, & incorruptionem æternam, ut dictum est in quæst. de Beatitudine. Ergo à fortiori actus Fidei affirmans æternam durationem Beatorum, & damnatorum, potest reddi falsa, annihilatis vtrisque.

7. Deus potest mentiri, seu, ut limitat Marfilus, falsum dicere, saltem de potentia absoluta. Ergo actus, quo creditur Deo potest subesse falsum, saltem de potentia absoluta. Probatur antecedens, primò à priori, quia quod homo decipiatur à Deo, non est malum incompenabile, ac proinde non est intrinsecè malum, quia solum de causa potest Deus occidere innocentem, & alia similia mala inducere, de potentia absoluta, iuxta sententiam communem. Probatur deinde à pari; quia Deus uti potest æquiuocatione, amphibologia, restrictione mentali, quæ & nobis licent: potest infundere errorem, & obligare lege sua ad falsam cognitionem, quorum nulla apparet repugnantia, & à plerisque auctoribus affirmatur possibilitas. Est autem horum omnium, & locutionis fallacis, ac mendose idem prorsus effectus realis. Nempe, ut homo patiatur deceptionem auctore Deo. Probatur denique à posteriori, quia reperiuntur in sacris literis aliquæ reuelationes inuicem impossibiles; quarum proinde altera est falsa; necnon aliquæ diuinæ promissiones, suo tempore non impletæ, quæ æquivalent mendacis; si & illa non continent in se formaliter.

Art. 1. Resp. Duplex est certitudo, alia affectiua, seu ex parte subiecti: Alia intellectus, & ex parte obiecti. Certitudo affectiua, seu ex parte subiecti, est firmitas propositi, de non deserenda sententia, nec admittenda vlla contra ipsam dubitationem, aut dubitandirationem. Certitudo intellectus, & ex parte obiecti est vis intrinseca cognitionis ad repellendam omnem formidinem, & dubitationem in contrarium, orta ex obiecto formalis moriuo eiusdem cognitionis.

Art. 2. Certitudo affectiua alia est consentanea obiecto cognitionis, eidemque iustè proportionata, atque ideò prudens. Alia est eidem obiecto minime consentanea, & proportionata. Posterior ista certitudo est vitiosa, diciturque potius pertinacia, nec queritur, an ea Fidei nostræ conveniat. Altera certitudo est honesta, diciturque Constantia, & de ea queritur, an conveniat nostræ Fidei. Conuertitur verò hæc affectiua certitudo, cum certitudine intellectu, ut patet. Nec minùs clarum est certitudinem intellectualem conuerti rursus cum infallibilitate, seu cum repugnantia cognitionis, ut sit falsa. Merito ergo certitudo, & infallibilitas Fidei mutuo conuertibiles, & eadem ratione provenientes ex eadem radice, ut apparebit ex dicendis, eidem indiuisim quæstioni subiiciuntur, licet communiter examinentur seorsim.

Art. 3. Dicendum autem est, actum Fidei esse certum, & infallibilem metaphysicè, idest talem, cui nec formido possit vlla inesse, aut coexistere, nec subesse falsum etiam de potentia Dei absoluta. Ita omnes Theologi cum Magistro in 3. dist. 23. & 25. & cum D. Thom. 2.2. quæst. 1. art. 3. & qu. 4. art. 8. Constas



Constat ex 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum.* Tob. 3. *Pro certo habeat omnis, qui in te credit.* Act. 2. *Certissime sciat Domus Israel.* Et ex illo Pauli ad Agrippam ibid. cap. 26. *Secundum certissimam sectam nostram Religionis.* Idem colligitur ex testimoniis docentibus comparatione Fidei, omnia motina contraria esse contemptibili, & nihil esse eius veritate indefectibilius. 1. ad Galat. 8. semel atque iterum. *Licet nos, aut Angelus de Caelo euangelizet vobis, prae-terquam, quod euangelizauimus vobis; Anathema sit.* Luc. 21. *Caelum, & Terram transibunt; verba autem mea non prae-teribunt.* Denique de certitudine affectiua propria Fidei, quam dictum est esse conuertibilem cum infallibilitate, constat specialiter ex illo Philippi ad Eunuchum, Act. 8. 37. *Si credis ex toto corde, licet nempe baptizari.* Constat similiter de infallibilitate ex Trid. sess. 6. cap. 9. fine, ubi de certitudine Fidei pronunciat; *Cui non potest subesse falsum.*

Art. 4. Probat deinde ex tota doctrina praecedenti circa motiuium; quia obiectum formale adaequatum Fidei, est prima veritas reuelata, ideoque nihil respicere potest Fides, nisi quatenus subest primae veritati reuelanti, hoc est scientiae, & veracitati diuinae, siquidem nullus actus, nullusque habitus ferri potest extra suum obiectum formale, & praeterea istud obiectum formale, & quidquid illi subest, praecognoscitur euidenter vt credibile absque vlla formidine, & attingitur per Fidem, quatenus sic praecognitum, quod totum supra ostensum est. At quidquid subest scientiae, & veracitati diuinae, habet infallibilitatem metaphysicam, quatenus illis subest, vt patet; & quidquid cognoscitur euidenter, vt credibile, absque vlla prius formidine, crediturque dependenter ab huiusmodi praecognitione, habet omnimodam certitudinem respectu credentis. Ergo actus Fidei ex sua ratione formali, & ex vi motiui ad quod fertur, atque modi quo fertur in illud, habet certitudinem, & infallibilitatem metaphysicam.

Art. 5. Imò ex eodem fundamento deducitur; Fidem esse magis certam, magisque infallibilem simpliciter, quam cognitionem quamlibet naturalem euidentem, licet haec secundum quid, sit magis certa, magisque infallibilis, quia causa certitudinis in Fide sunt scientia, & veracitas Dei, quae habent in se maiorem certitudinem, & infallibilitatem, quam quilibet creatum, quod possit esse motiuium scientiae naturalis non quod istud etiam non excludat omnem formidinem possibilem; sed quia eam excludunt scientia, & veracitas Dei, maiore vi, quatenus sunt praeditae maiori entitatis, & veritatis necessitate, & comparantur respectu omnis veritatis creatae, tanquam praemissa cum conclusione, quas dicit Philosophus certiores esse eadem conclusione. Qua de causa, data optione deferendi, aut testimonium diuinum, aut motiuium euidentis creatum, & posita per impossibile impossibilitate inter vtrumque, potius esset deferendum motiuium creatum euidentis, quam testimonium Dei. Eadem de causa, habita euidentia naturali, licet diuertere intellectum ad rationes incli- nantes in contrarium, cum periculo incidendi in assensum oppositum; idque ipsum non licet credenti per Fidem. Est nihilominus euidentia naturalis magis certa, & infallibilis secundum quid, quatenus distinctius cognoscit suum motiuium, ideoque excludit, & reddit impossibile omnem formidinem non solum licitam, & prudentem, vt Fides diuina; sed etiam illicitam, & imprudentem, ac indeliberatam. Quod prouenit ex meliori dispositione nostri intellectus ad obiectum naturale, quam ad supernaturale.

Art. 6. Verum quia in vnoquoque praeualet, quod ipsi conuenit ex causa sua, supra id, quod conuenit

eidem ex dispositione subiecti, atque causa certitudinis, cui formaliter attribuitur certitudo actus, est eius motiuium, propterea simpliciter actus Fidei est certior, ac infallibilior, quam cognitio quae ibet naturalis euidentis. Haec verò praeminet tantum secundum quid. Vnde dixit Aug. 7. Conf. cap. 10. *Facilius dubitarem viuere me, quam esse vera, quae audiui.* Et Chrysost. hom. 21. ad Hebr. 11. *Ad illud: Fides est argumentum non apparentium; id est, ait, maiorem certitudinem de illis faciens, quam actus, quae videntur.* Subscribunt communiter in eundem sensum Theologi, apud Suar. disp. 6. sect. 5. Solent verò plerique eorum dicere cum D. Thoma, illo art. 8. Fidem, secundum se, esse certioram, & quoad nos minus certam. Quod tamen intelligi debet iuxta ea, quae modo exposita sunt; ne si sumatur, vt sonat, significet, nos per Fidem non reddi magis certos simpliciter; quod falsum est, vt obseruat Suar. ibidem, & apparet ex testimoniis relatis Augustini, & Chrysostomi, atque ex toto superiori discursu. Est igitur Fides, inter omnes cognitiones viatoris proprias, summe certa, ac infallibilis.

Art. 7. Ad primam, secundam, & tertiam rationem dubitandi, maxime verò ad primam, vt respondeant, tentant plerique Theologi; sed omisso aliis minus probabilibus, quae facile refelli possunt, duae sunt responsiones digniores, quae considerantur. Prima est, exteriori propositioni credendorum insufficienti ad credendum Fide diuina supernaturali, semper inesse aliquid diuersum ab eo, quod inest propositioni insufficienti, siue propositioni reuelationis falsae. Verum contra hoc si nihil superaddatur aliud, videntur euidenter concludere illae ipsae rationes dubitandi, vt necesse non sit, quidquam ulterius superaddere supposito communi, & ordinatio, omnibulque noto modo, quo fideles instruuntur ad credendum, a parentibus, Parochis, & aliis verbi Dei Ministris.

Art. 8. Altera responsio est, interiore illustratione, & instinctu Spiritus Sancti illuminari audientes, vt non seducantur doctrinis falsis, & discernere valeant veram à falsa reuelatione; tamen ex parte propositionis exterioris nulla prius appareat, nec adsit reipsa differentia, admixtis sub eodem orationis contextu, particulis falsis cum veris, aut etiam iis seorsim propositis; sed absque vlla nota speciali doctrinae diuinitus reuelatae. Huic solutioni fauet plurimum D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. ad 3. eandemque expressius tradit in 3. dist. 24. q. vnic. ar. 3. ad 3. 2. quaest. *Discretionem*, ait, *credendorum habet homo per lumen Fidei, sicut discretionem spirituum, per aliquam gratiam gratis datam.* Vnde homo lumen Fidei habens, non consentit iis, quae sunt contra Fidem, nisi inclinationem Fidei derelinquat ex sua culpa.

Art. 9. Imò in sacris literis videtur hoc ipsum expressum esse 1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus.* Matth. 23. *vnus est Magister vester, & Ioan. 10. Oves meae vocem meam audiunt.* Et 1. ad Cor. 2. Inter alia plura in hanc rem accommodata; *Spiritualis autem* (hoc est homo illustratus interiori à Deo) *Indicat omnia,* hoc est discernit vera à falsis sibi propositis, vt exponunt D. Thomas, & alij communiter ibi. Ac deum Sap. 14. *Sensum autem tuum, quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam?*

Art. 10. Nihilominus haec responsio duplici ex capite redditur valde difficilis. Primum enim hinc confici videtur, sufficere pro instructione fidelium, & infidelium conuersione verbum Dei scriptum, nec esse necessarios Praedicatores verbi Dei. Certè nullum esse discrimen idoneorum ab idoneis, & superfluere exteriorem Fidei regulam infallibilem. Si enim solus interior instinctus sufficit ad discernendam veram Dei reuelationem à falsa, & legitimam eius propo-



propositionem ab illegitima, nullo, ex parte rerum ipsarum, existente discrimine, omnia exteriora sunt inutilia, atque superflua, nec hæretici contemptores Ecclesiæ, & Pontificis Romani, & solius magnificatores interioris instinctus, essent digni reprehensione, quos tamen, constat ex quæst. 19. esse reprehensione dignissimos, & penitus inexcusabiles. Deinde si duæ res ita inter se comparentur, ut nihilo inuicem differant, nullumque in se habeant discerniculum, nulla mentis illustratione, nullaque vi fieri potest, ut discernantur.

Art. 11. Potest quidem peritus metallorum, discernere aurum, ab aurichalcido, & quodvis verum, à quouis apparenti eius generis; quod non potest imperitus; quia inest auro vero aliquid, quod reipsa non inest adulterino, licet id non sit usque ad obuium, & facile perceptibile per sensum. Caterum si nihil eiusmodi inest reipsa diuersum, tam non poterit discernere peritus, quam non potest imperitus. Similiter ergo mens illustrata à Deo, & mota instinctu Spiritus Sancti, non magis discernere poterit veram à falsa reuelatione, & propositione reuelationis, quam quæ sibi, & suis comprinciis naturalibus relicta fuerit; si nullum reale discerniculum, tametsi occultissimum, & naturali perceptioni imperitum inest reipsa ex parte obiecti.

Art. 12. Quare testimonia paulò priùs allata manifestè supponunt, docentque indirectè adesse aliquid reipsa diuersum in doctrina exteriori vera, & falsa, atque in propositione sufficienti, & insufficienti diuinæ reuelationis, dum directè docent mentem illustratam à Deo, & habentem lumen Fidei, discernere inter illas. Alias enim solum discerneret reuelationem Dei internam immediatè, & secundum se reipsa existentem, à non existenti reipsa; Atque inde indirectè, & ex consequenti reuelationem externam veram à falsa. Cum è conuerso contingere, eadem testimonia supponant, & ex aliis constet, uti visum est supra. Necessè igitur est assignare aliquod discrimen obiectuum naturaliter imperceptibile, quod per illustrationem, & instinctum Spiritus Sancti discerni valeat, atque hoc assignato discrimine, & non aliter in concordiam veniant, quæ nuper allata sunt pro instinctu discretiui, & quæ superius expensa fuere pro necessitate idonei ministri, & propositionis exterioris peculiaris.

Art. 13. Reuocandum est in memoriam diligenter, quod dictum est quæst. 19. Auctorem sufficientem propositionis credendorum, non solum debere esse missum à Deo mediatè, [vel immediatè; sed etiam loqui debere tanquam missum. Adiungendum deinde est, locutionem, & propositionem credendorum propriam Ministri missi à Deo, ut ab eo missi, esse supernaturalem extrinsecè, & quoad modum, quatenus oritur à Fide supernaturali doctrinæ diuinitus reuelata, acceptata, & approbata ab Ecclesiâ. Denique conferenda est locutio ista, & propositio extrinsecè, & quoad modum supernaturalis, cum simili quoad entitatem locutione purè naturali, etiam extrinsecè, & quoad modum. Locutio purè naturalis gignit in audiente naturaliter benè disposito cognitionem conceptus naturalis, cui substituitur eadem locutio, quia est signum rerum ut substantium conceptui loquentis. Similiter ergo locutio extrinsecè, & quoad modum supernaturalis, quia substituitur conceptui supernaturali loquentis connexo essentialiter cū reuelatione diuina, & approbatione Ecclesiæ, gignere potest in audiente, benè supernaturaliter disposito, cuiusmodi dispositio habetur per lumen Fidei, & infusionem Spiritus Sancti. Gignere, inquam, potest cognitionem conceptus eius supernaturalis, qui est forma extrinsecè distinguens verā Dei locutionem externā à falsā

Art. 14. Adest ergo semper discerniculum veræ Dei locutionis à falsā, & propositionis sufficientis ab insufficienti, imperceptibile quidem naturaliter, utpote proprium idiomatis supernaturalis, & eleuati extrinsecè; perceptibile verò per supernaturalem illuminationem, & instinctum Spiritus Sancti; quæ tamen ipsa illuminatio, & instinctus nihil præstare possent in homine operanti humano modo, si non præiret locutio, & instructio exterior informans phantasiā, & dependenter ab illa pertrahens intellectum ad inspectionem conceptus interioris, præexistentis reipsa in loquente. Quibus sufficienti occurrunt difficultatibus oppositis aduersus solutionem D. Thomæ, aliorumque communem de instinctu Spiritus Sancti, quæ proculdubio est vera, & ut explicata modo est, occludit aditum instinctui purè interno hæreticorum, operanti independentem ab exteriori propositione, & regula credendorum; atque in concordiam redigit testimonia omnia, quæ pro utraque ea parte producuntur, & indicata nuper fuere. Indidè objectionibus illis prorsus satisfieri facile potest.

Ad 1. Negatur antecedens, cuius probatio est distinguenda: Incarnatio Spiritus Sancti potest proponi, cum iisdem omnibus & solis circumstantiis perceptibilibus naturaliter, conceditur assumptum: Perceptibilibus, etiam supernaturaliter per lumen Fidei, & instinctum Spiritus Sancti, negatur assumptum. Quia Incarnatio Verbi diuini, quando proponitur sufficienter, proponitur dependenter à conceptu, & Fide supernaturali loquentis, & totius Ecclesiæ, vdictum est, & eò usque pertingit instinctus Spiritus Sancti. Nequit autem hoc modo proponi incarnatio eiusdem Spiritus Sancti, ut ex se patet. Idem dicitur suo modo, de scriptura vera, & fallaci, approbata, & non approbata ab Ecclesiâ.

Ad 2. Conceditur Fidem de Christo venturo fuisse eiusdem rationis ante, & post eius aduentum; sed negatur Christum per illam cognitum fuisse, ut futurum respectu cuiuscumque credentis, & actus credendi. Solum enim cognoscebatur ut futurus, respectu instantis pro quo primum promulgata est reuelatio de Christo venturo; nempe in reliquis temporis differentias, ea Fides ut esset conformis reuelationi ferebatur vagè, dicens, Christus aliquando existit. Quod est verum, etiam post aduentum; sed post sufficientem prædicationem Christi iam existentis idem actus foret falsus, quoad modum significandi, & supponendi. Significaret enim, nondum certò innotuisse, quod iam adueniret.

Ad 3. Et eius confirmationem, obscuritas Fidei non est abstrahentis rationem communem à differentis; sed attingentis determinatè rationem differentialem, ut talem per ænigmata inducentia obscuritatem, & imperfectionem in conceptu. Quæ tamen non impediunt, quo minus actus Fidei feratur distinctè ad suum obiectum formale, & materiale, reddatque credentem securum, ac certum de sui veritate, certitudine, ac infallibilitate; necnon supernaturalitate, non quidem sub his conceptibus, ac expressionibus formalibus; benè tamen sub alio conceptu formali, & prædicato conuertibili realiter cum illis, uti dicitur explicatius q. 24. & magis quæst. 25. Modo enim sufficit obseruare, si hoc verum non esset, fore ut non potuisset Paulus dicere. *Scio cui credidi, & certus sum.* Et sic de cæteris eiusmodi superius allatis.

Ad 4. Negatur potentiam proximam formidandi intellectualiter esse necessariò coniunctam cum formidine actuali. Potest enim impediri intellectus, quo minus eum actum eliciat, quem potest absolute elicere, & non potest dicere nisi formidando per ipsum. Negatur rursus formidinem actuale, non esse malum eligibile identicè, & materialiter; licet sit ineligibile



ineligibile formaliter, quatenus tale est: sicut malitia peccati, & poena Inferni sunt eligibiles identice, & materialiter, seu virtualiter, propter bonum temporale cum illis coniunctum. Sic enim instructus, & vocatus ad Fidem cum possit, si velit, adherere certis, ac minime formidolosis principiis, & sic disponere se ad bona aeterna; eligit tamen saepe adhaesionem ad incertas, & maxime dubias persuasiones occurrentes aditum ad vitam aeternam, propter motuum temporale, cuius bonitas est coniuncta cum illo malo. Cauendum est ne aequocetur formido cum timore, aut cum motu indeliberato impellente intellectum ad formidandum; eumque reddente sollicitum, & anxium, de quibus adiungitur non nihil quaest. seq.

Ad 5. Actum Fidei de futuro contingenti, is potest impedire potentia simpliciter antecedente, qui potest impedire, seu cui liberum est ipsum contingens. Quia idem ipse impedire potest indirecte praescientiam Dei de eodem futuro, in sensu diuiso, atque illi praescientiae nititur fides, tanquam motiuo. Quare licet factum in se factum fieri non possit, ex suppositione, quod factum sit, potest tamen in se factum fieri, seu non factum esse simpliciter. Vnde si contingens, quod est futurum, non fuisse futurum, fides de illo non fuisset reddita falsa, sed non existeret, sicut nec praescientia diuina de eodem.

Art. 1. Ad 6. Potest quidem Deus destruere, & vertere in nihilum omnia, & singula creata, attenta physica eorum bonitate, & perfectione, ac vi propria resistitua contrariorum. Caterum componere non potest annihilationem cum reuelatione propriae voluntatis de non annihilando, eademque annihilatione repugnat intentionali, cum eadem voluntate, & reuelatione, connexion cognitionum, quibus utraque certissime cognoscitur. Nempè Deus, licet dare nullatenus possit creaturis tantam bonitatem, quae ratione suae magnitudinis reddatur minime contemptibilis ab ipso Deo; dare nihilominus potest cognitionem suorum beneficiorum, & durationis eorum, minime falsificabilem. Aliàs, quod est absurdissimum, aeternitas à parte post maximorum Dei beneficiorum, non posset esse maximum beneficium. Quia collatio boni incogniti nunquam cognoscendi ab accipiente, nullum est beneficium. Nullum siquidem gaudium parere potest, nullamque delectationem; quae tamen est lydius lapis, Corona, mensura, & vltima forma beneficij, per se, & simpliciter talis. Quia ratione similiter ostenditur, non posse esse maximum beneficium, quod non cognoscitur certissime, ac infallibiliter, quia non potest valde delectare; torquente incertitudine, & eò magis, quod maius est de quo dubitatur.

Art. 2. Eiusmodi porro intentionalis connexio cognitionum essentialiter infallibilium cum voluntate, & reuelatione de non destruendo, aut ipsas, aut earum obiecta, non conuenit illis praecise, ob magnitudinem suae perfectionis; cum per cognitiones aequè perfectas, eiusdem nimirum obiecti formalis, aequè bene cogniti, cognosci possint opposita voluntas, & reuelatio. Conuenit ergo ratione suae indiuiduationis, aut speciei solum logicae. Nec enim utilitas est mensura perfectionis per se aestimabilis, cum Deus non sit capax vllius utilitatis; sit verò capax omnis bonitatis per se aestimabilis, atque omnes eius volitiones sint aequè praestantes, & non aequè viles. Quare testimonia de potestate Dei ad annihilandum omnia, & singula creata, accipienda sunt de potestate comparata cum entitate purè physica, & magnitudine bonitatis eorum secundum se, & non relatè ad connexionem etiam intentionalem cognitionum supernaturalium, cum promissionibus, & reuelationibus diuinis; de quo plusculum in quaest. de beatitudine formali.

Art. 1. Circa 7. Coegit Theologos ad disputandum, tum impudentia, ac stultitia Priscillianistarum blasphemantium, saepe mentitum esse Deum, & quidem miserrimè dicendo contradictoria, contradictione omnibus manifesta, & scripto ad posteros perpetuo transmissa: Tum aequiuocatio Gabrielis, O kot, Adami, & Alliaco, distinguendum voluntatem liberam loquendi, à voluntate obligandi se ad dicendum verum; Indeque deducendum, licet nunquam de facto mentitus sit Deus, aut dixerit falsum, neque dicere possit de potentia Ordinaria, propter obligationem dicendi semper verum, quae se obstruit de facto; id tamen ipsum posse de potentia absoluta, quia potest loqui supernaturaliter, & miraculose, nulla sibi imposita obligatione dicendi verum.

Art. 2. Caterum Deum neque de potentia absoluta mentiri, aut falsum dicere posse, communis, & certa sententia est, de qua non esset disputandum: *Quia per euidentissimam rationem est scitum, quod Deus est verax*, vt ait D. Thomas 2. ad Timoth. 1. lect. 4. paulò post initium. Disputat verò egregie, & conuincit apertè contrarium errorem Suar. disp. 3. de Fide, lect. 5. Inquam errorem, propter manifestam hac de re reuelationem, praesertim ad Hebraeos 6. *Vt per duas res immobilis, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus.* Duae autem illae res sunt assertio, & iuramentum, quae in Deo non distinguuntur, nisi quoad modum exprimendi humano vsui accommodatum, cum Deus superiorem se neminem habeat, per quem iuret. Alia similia testimonia habentur apud Suarez.

Art. 3. Quod ad rationem attinet, suffecerit vnicam breuiter proponere. Actus mendacij, ipsaque qualicumque probabilitas mentiendi, aut dicendi falsum, Deum redderet contemptibilem, & ineptum ad regendum substantias rationales; sed repugnat manifestè, Deum esse, aut aliquo tandem modo reddi contemptibilem, & ineptum ad regendas substantias rationales. Ergo repugnat manifestè Deum mentiri, ac praeditum esse aliquali possibilitate mentiendi, aut dicendi falsum. Minor est euidentissima, eiusque illatio est per se nota, ex conceptu entis Optimi, Maximi. Patet maior quoad primam partem; quia nihil est notius in humana consuetudine, quam eum contemptum, cui dicitur verbum illud amarissimo ignominiae ablynthio imbutum, *mentis*, ac proinde eum esse contemptibilem, cui id iure dici potest. Aequiualeat autem ei verbo, hoc aliud, *falsum dicis*, quando certò supponitur adesse loquenti legitimam rei de qua loquitur notitiam, vt supponitur de Deo. Eiusdem contemptus particeps est Fides adhibita loquenti maxime debilis, & dubia ob suspensionem mendacij fundatam in genio, & facilitate loquentis ad mentiendum; quae facilitas in summo gradu est inseparabilis ac absoluta Dei potentia faciendi aliquid.

Art. 4. Probatur eadem maior, quoad secundam partem, quia Deus praecipue regit substantias rationales, legibus continentibus comminationem poenarum, & sponsonem praemiorum. Utraque autè redderetur nullius, vel certè exigui vigoris ad permouendum sub dubio, an Deus fallaciter minaretur, ac promitteret, vt posset, si posset mentiri, ac fallaciter loqui. Neque verò posset obligando se ad dicendum verum, gignere vllam securitatem de sua veracitate. Quia Deum obligari ad aliquid, nihil est aliud, vt alibi efficaciter comprobatur est, quam suam id faciendi voluntatem significare aliis. Suam autem voluntatem dicendi verum significat audienti, quisquis ab illo formaliter, vel aequiualeuter petit fidem eorum, quae dicit. Seclusa namque eiusmodi voluntatis significatione, audiuntur, vt fabulosa, & dicta ludendi gratia, quaecumque dicuntur, absque vlla adhibendi

fidem



fidem cogitatione. Ergo Deus, quoties loquitur, imponit sibi necessariò omnem, cuius est capax, obligationem dicendi verum. Rursus nec patris miraculis posset vllam securitatem inducere. Quia miracula, vt notatum est quæst. 19. hoc solum directè, & formaliter præstant, vt ostendant, Deum esse auctorem locutionis, & quò maiora sunt, eo id apertius ostendunt, sed nihil præstant amplius. Id autem nihil confert ad securitatem audientis, supposito posse Deum dicere falsum. Hoc ergo supposito, nulla arte fieri potest, vt Deus sit idoneus ad nos regendos. Manifestissimum igitur, & certissimum est, Deum mentiri, aut falsum dicere nullatenus posse.

Art. 5. Ad primam rationem à priori in contrarium: Hominem decipi à Deo impellente ad deceptionem, interposita sua auctoritate, est malum incompenabile; quia tale malum est, quod inde sequitur, Deum esse contemptibilem, & ineptum ad regendum. Ad paritatem transmissò antecedente negatur consequentia. Quia rationes, & auctoritas, quæ productæ sunt aduersus consequens, non militant aduersus ea, quæ ponuntur in antecedenti, iis, vt debent, proportionaliter acceptis; nempe restrictione mentali, pro ea, cuius indicium extet aliquod exterius, obseruabile ab attenta prudentia audientis; obligatione assentiendi falsitati inducta per accidens, ratione alterius erroris antecedenter admissi, vel ratione occurfus causarum secundarum reddentium imprudentem suspensionem iudicij, & temerariam eam partem, quæ veritatem continet; & sic de similibus. Imò etsi per impossibile, licitum nobis esset aliquando mentiri, aut fallaciter loqui, etiam per se, seu seclusa ignorantia inuincibili, non propterea id ipsum licitum Deo, aut possibile vnquam esse posset: vel è conuerso, ob diuersitatem rationum, quibus mendacium, & falsitas Deo, & nobis redduntur illicitæ, & dedecentes, vt apparet facilè ex fundamento præmissò respectu Dei, & ex iis, quæ respectu nostri vrgeri solent, & possunt. Ad rationem à posteriori respondent fusè sacre Paginæ interpretes, quorum est id negotij, ostensa concordia eorum omnium, quæ in illa continentur; & promissiones, quæ non sunt impleæ suo tempore, fuisse conditionales. Et quodnam vecordia, & stultitia genus fuisset, contradictionem dictorum, & infidelitatem promissionum omnibus sæculis palam proposuisse scientem, & volentem! Certè quale nec vlli homini contingit.

Art. 6. Censeretur porrò Deus mentiri, ac fallaciter loqui, si enaderet falsa locutio, cuius auctorem esse Deum ipse nobis proponeret, vt euidenter credibile, absque vlla formidine. Cum enim eiusmodi euidentiam solus Deus inducere possit, ipse, sua auctoritate interposita, nobisque sufficienter proposita, esset auctor nostræ deceptionis; censeretur autem mendax, & fallaciter loquens, quicumque sua auctoritate, sic, aut modo æquiuolenti inducit deceptionem in audiente. Patet præterea clarè militare pro hoc euentu rationes, quibus ostensum est repugnare Deo mendacem, & fallacem locutionem. Est enim contemptibilis quicumque inducit deceptionem in audientem, oppignorata eum in modum sua auctoritate. Nec posset Deus perfectè nos regere stante conditione viatorum propria, si post talem propositionem auctoritatis diuinæ, nutaret licitè nostra Fides, possetque abesse veritas à locutione. Quare ad eiusmodi euidentiam de credibilitate consequitur necessariò similis euidentia de obligatione credendi super omnia; quam euidentiam neque hi effugere possunt, qui sub terminis vniuersalibus, & abstractis, censent, Deum loqui fallaciter posse, ob æquiuocationem, & malam terminorum acceptionem, ac definitionem. De cuius æquiuocationis causis, & modis possibilibus longum

esset dicere, nec admodum vtile pro excusatione paucorum Theologorum illam minimè merentium.



## QVÆSTIO XXIII.

*Vtrum Fides sit impossibilis cum opinione circa idem obiectum?*



IDEVR non esse. 1. Quia sola formido radicalis, & non actualis est essentialis actui opinatio. Sola autem formido actualis; non verò radicalis tantum est impossibilis cum certitudine circa idem obiectum in eodem intellectu. Componi igitur potest cum certitudine fidei actus opinatiuus.

2. Simplex apprehensio, & complacentia simplex, atque cognitio abstractiua sunt composibiles cum iudicio, & affectu efficaci, atque cognitione intuitiua circa idem obiectum in eadem potentia; idemque contingit in aliis actibus perfectis, & imperfectis. Ergo componi similiter possunt cognitio opinatiua, & certa Fides.

3. Simples apprehensiones inclinantes ad iudicium opinatiuum circa obiectum fidei, sunt magis imperfectæ, quàm sit iudicium ipsum opinatiuum, & nihilominus possunt componi cum actu Fidei, de quo nemo dubitare potest. Ergo à fortiori cum eadem componi potest iudicium opinatiuum.

4. Si opinio, & Fides non possent inuicem componi in eodem circa idem, rationes probabiles Theologorum circa mysteria nostræ fidei excluderent ab ipsis fidem illorum, & essent inutiles ad confirmandam fidem aliorum; ac proinde vitandæ potius illæ essent; quàm tanto studio conquirendæ, quod est absurdum.

Art. 1. Resp. Fides est certa certitudine excludente penitus possibilitatem oppositi. Opinio verò est incerta, & formidolosa incertitudine, & formidine admittente possibilitatem oppositi. At sunt impossibiles essentialiter huiusmodi certitudo, & incertitudo de eodem secundum idem. Ergo Fides, & opinio de eodem secundum idem sunt impossibiles essentialiter. Patet minor; quia affirmatio, & negatio de eodem secundum idem sunt impossibiles essentialiter. Negat autem possibilitatem oppositi cognitio illam excludens, eandemque affirmat cognitio illam admittens. Quia in cognitionibus excludere, & admittere non distinguuntur ab affirmare, & negare. Quo eodem argumento probat Philosophus 1. Poster. cap. 26. mutuum scientiæ, & opinionis impossibilitatem. Maior quoad primam partem de Fide constat satis ex quæst. præced. Quoad alteram partem de Opinione, probatur in primis auctoritate Philosophi ibid. dicentis id expressè semel atque iterum, & D. Thom. 1. 2. q. 67. ar. 3. *De ratione opinionis est, ait, quod accipiat unum cum formidine alterius oppositi. Unde non habet firmam adhesionem.*

Art. 2. Idem dicit, & addit rationem in hac 1. 2. q. 1. ar. 4. Quia opinio est cognitio habita per liberam electionem voluntatis determinantis intellectum destitutum medio ipsum conuincente, necnon medio potente excludere formidinem, quin conuincat. Quorum primo differt opinio à scientia, posteriori à Fide. Cognitio autem enuntiatiua concepta in hunc modum, nec potest ita ferri in vnā partem contradictionis, vt abstrahat prorsus ab opposita; quia veluti auditis vtriusque partibus fert indiuisum iudicium de vtriusque